tanto leniorem. Lemmata tot operum penes te latentium lubens dolensque vidi. Nullum est, quod non expediat proferri. ego vero φίλον χάρα quoties in mentem redeunt, quæ in sacris verba sunt, et quod ibi de juvene dicebatur, seni applico, nimirum quod nomino χαιχίαν ἔχεις, non sine metu spero superstitem parentem visuros tot excellentis ingenii tui nobilissimos partus. Tu sané quando, quod me quam maxime exhilarat, tandem tibi vacare cæpisti, et tuus esse, ὃ γε ποιεῖς ποίησον τάχιον. Eheu fugaces Posthume, Posthume. Meam Crambem non tam recoctam, quam novo jusculo auctiorem, quando sic jubes, ecce jubenti offero. Hic tu (Plinii mei verbis moneo) adnota quæ putaveris corrigenda. Ita enim magis credam cætera tibi placuisse si quidem displicuisse cognovero, neque enim in hoc uno te virum alioqui prudentissimum, honesto quidem, sed tamen errore versari velim quod pluris amicos tuos quam sunt arbitraris. In vestibulo operis postquam Wendelinum legeris fateor magnopere non superesse, quod Wendelino lectore dignum sit. Petisti tamen et parendum fuit. Sudat, dum hæc scribo, sub typographis, Belgicorum Poematum meorum veterum et recentiorum vis immensa, pulcherrimo ~~ex~~ charactere semel Orbi obtrudenda, ut semel hoc nimirum desinamus facere, quod an plané factum expedierit, cordati disputabunt. Solos tres menses vivito. Ingenti te volumine et quas pluris, aliquanto latinis istis meis, Tornacum usque obtusum ibo. Tanti est ut valeas. Id cura, sine ama, qui te constantissimé. Scrib: Hagæ Com: ips: Cal: Febr: CIƆIƆCLV.

(453)

Ad J. Caterum Jesuitam.

Quas ad defensionem Illustrissimi Chanuti, qui modò in Patriam revocatus abiit, reponenda D: Caterus judicavit eò quo destinata sunt ocyus curabuntur. Quam in me censuram strixit, eam ego ut ab amicâ manu feram, a Jesuitæ supercilio prorsus non ferendam duco. Expurgatorios indices, quibus illa gens in optimos quosque maximosque autores, ausa fuit involare, cum viris eruditis et cordatis tempore non contempsi modò, sed et pravi conatus existimavi, et gravi iniquitate laborantes; dum audire quod ipsis ægré sit P.P. non patiuntur qui

qui Christianos à se dissentientes nullo non scommate impe
tere laudi ducunt: quod et auriti sæpè testes experti sumus
et oculati lectores quotidiè experimur. de Ibero quæ lusi
diu ante factam pacem de hoste dixi, neque enim
tot Epigrammata nascuntur paucis annis, neque ejici
continuò, mutatâ rerum facie; justum est, quæ cum
nascerentur, apposite prolata fuerunt, in Italiæ degeneris
vitia adolescens invehebar, adjecto tum quoque Tenui thure
quod d. Catero placuit non observare. neque eam rem
hactenus mihi vitio versam memini. quæ ibi flagitia
commemoravi, an leniore manu defricari mereantur,
Jesuitæ viderint, nobis horrori sunt. Hæc Jesuitæ dicta
sunto, non Catero, cujus ego et eruditionem suspicio et
amicitiam usque colui et culturus sum. 17 Febr: 1656.

Vincentio Fabricio
Syndico Gedanensi

Amplissime ac Doctissime Vir.

(454)

Munusculum diu tibi destinatum tandem ecce patris
nomine oblatum it de quatuor filiis natu minimus.
Ei præcipuè hoc mandavi, refricaret veteris amicitiæ
memoriam, testareturque eodem me animo erga te
affectum vivere, quem olim si parum prolixè testatus
sum, habui certò integerrimum, et nomini tuo
addictissimum. Proinde Adolescentem hunc ut benevo
lentiâ tuâ complectare, videor mihi meo quodam
jure postulare. Fiat, rogo, citra incommodum tuum
et me ames, qui sincerè sum Tuus.
8. Mart: 1656.

Westerbanio.

(455)

Obruis me, Vir Nobilissime, nimium frequenti humani
tate, et quod non obscurè patiuntur, qui redhostiendo
pares non sunt, quodammodo pudori meo gravis es.
Si tamen patrissat ista cohors et matrissat, erit cum
progeniem ejus, non qualis ipsa advolavit, sartam
tectamque, sed fartam, lectam lixamque et assam in
Vitaulio donatori apponemus, pulchræ sortis qualem
cumque usuram. Fiet id solenni sacro, quali nuper
interesse voluisti,

Quot nos fata sinent nostris septembribus ortus
Quemque sui festum ritè lavare diem.

Vale Vir Eximie, et his hactenus, quod soles, munificentiæ
tuæ satisfieri vel invitus patere. In Vitaulio ubi
hoc

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 160v-161r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5457